

tuntur, ut amplius dictum est *Lib. II. Tit. XXVI. de Prescription.*

205 *Resp. II.* Ad hoc, ut Privilegia affirmativa cum gravamine aliorum concessa amittantur per non *Usum*, plura requiruntur. Patet Conclusio inductione. Inprimis enim requiritur, quod fuerit occasio utendi privilegio, & tamen eo usus non fuerit Privilegiatus; hæc enim ubi deest, non amittitur privilegium, etsi per mille annos nullus exerceatur actus Privilegii, ut fatentur omnes, *arg. l. Autili-cinius. ff. de Servitut. Rustic. præd.*

206 *Secundò*, ut scienter omittatur Usus privilegii, id est, ut quis sciat se habere privilegium, & tamen datâ bonâ occasione, eo uti omittat: qui enim ignorat, se habere privilegium agendi hoc aut illud, non amittit, si illo uti omittat. *Innocent. in c. Accedentibus. princip. h. t. Donatus Tom. 1. p. 1. Tr. 12. q. 6. n. 6. Pirhing h. t. num. 175. cum communi aliorum, arg. l. His, qui usum fructuum. ff. Quibus modis usus fructus vel usus amittitur.*

207 *Tertiò* requiritur, ut Privilegiatus spontè & voluntariè omittat uti privilegio, si enim quis violenter, aut ob infirmitatem vel absentiam ab *Uso* impeditur, privilegium non amittit. *Glossa in cit. c. Ut privilegia. 25. h. t. v. semel in anno. Donatus loc. cit. n. 5. Pirhing loc. cit. & communis aliorum, fuitque aliquoties dictum teste Donato. Ratio horum est; quia deficiente uno ex his requisitis nulla adest culpa, nec quam Privilegiatus Privilegio privari possit, nec indicium voluntariæ Renuntiationis, nec sufficiens via Præscriptionis, ut consideranti patet.*

208 *Quartò* requiritur sufficiens tempus, si viâ Præscriptionis amitti dicatur, de quo tempore infra *num. 224.*

209 *Resp. III.* Privilegia affirmativa, quæ sunt meræ gratiæ, atque in nullius gravamen cedunt, v. g. celebrandi ante auroram, absolvendi, dispensandi, & hujusmodi, per meram non *Usum* nunquam amittuntur. *Glossa in c. Ut privilegia h. t. v. Semel in anno. Layman citans Suarezium, & Pirh. h. t. n. 176. Engel hic n. 19. Bassius v. Privilegium 2. n. 16. post Bonacinam, Roderiquez, & alios. Idemque nonnulli extendunt ad Indulgentias perpetuas, quæ per longum tempus non amplius fuerunt usitate, idque ob paritatem rationis.*

210 *Accedit ratio:* Quia inprimis hujusmodi Privilegia non amittuntur viâ Præscriptionis, cum nemo sit qui contra hujusmodi Privilegia non onerosa præscribere possit. Neque amittuntur per tacitam Renuntiationem, quia quisque liberam facultatem habet privilegio utendi, vel non utendi: unde cum in similibus non *Usum* vel *Usum contrarium* sit actus liberæ facultatis, qui non inducit præscriptionem, vel Renuntiationem, non videntur talia privilegia per eum amitti, dummodò habeant causam successivam & effectum iterabilem. Hinc in simili *Voluntaria c. de Excusat. Tutorum*, dicitur: *Voluntarie tuclæ mune a Privilegiis nihil derogant:* id est, si quis contra suam privilegium spontè suscipit unam Tutelam, non idcirco censetur renuntiasse Privilegio, ita quasi deinceps posset compelli & aliam imposturam suscipere.

211 *Quòd* si objiciat contra hanc doctrinam textum *num. 104. relatum. Resp. Privilegium celebrandi Nundinas numerari inter privilegia onerosa;* quia Mercatoribus in tali loco existentibus Nundinæ sunt onerosæ, eò quòd ob copiam adventantium Mercatorum non possint merces suas pretio cariore distrahere. Vel certè hoc est speciale de privilegio Nundinarum; quia specialiter expressum in Jure, ut non nisi sub tali conditione à Principe concedatur: quod proinde tanquam odiosam non est extenden-

dam ad alia privilegia meræ gratiæ, quibus talis conditio neque ex Jure scripto, neque ex consuetudine annexa est.

Queritur II. An, quando, & quæ privilegia negativa amittantur per *Usum contrarium?* *Resp. I.* Privilegia negativa merè gratiosa, v. g. non jejunandi, nunquam amittuntur per *Usum* contrarium. *Suarez lib. 9. de Leg. cap. 35. num. 22. Pontius lib. 3. de Matrim. cap. 18. num. 25. Pirhing h. t. num. 183. cum Communi per Rationes & Jura nu. 210. allegata.*

Resp. II. Contrà Privilegia negativa cum onere aliorum concessa, v. g. non solvendi Decimas, vel Tributum, amitti possunt per *Usum contrarium.* *Suarez loc. cit. cap. 34. n. 20. & cap. 35. n. 1. & 2. Pontius loc. cit. nu. 9. Layman lib. 1. tr. 4. cap. 23. Pirhing h. t. n. 178. cum communi & certa aliorum, arg. c. Cum accessissent. de Constitut. ubi Statutum quoddam auctoritate Apostolica in favorem Canonorum confirmatum, mandat Papa in suo robore conservari, nisi postea dicti Canonici contraveniant; & consequenter hi acta contrario dictam privilegium seu favorem amisissent. Possuntque amitti vel viâ Præscriptionis, vel tacitæ Renuntiationis per dicta *num. 203.**

Verum, ut per tacitam Renuntiationem amittantur, requiritur *primò*, ut quis scienter, & voluntariè exerceat actum contrarium animo renuntiandi privilegio: nam si quis ignorat se habere privilegium, vel illius immemor agit contra illud, aut expressè protestetur, se nolle per hoc renuntiare, aut præjudicare suo privilegio, non amittit illud. *L. t. c. De his, qui spontè sua munera publica. Abbas in c. Cum accessissent. de Constitut. n. 7. & ibi Felinus nu. 30. L. minor. 5. Layman loc. cit. n. 11.*

Secundò, ut spontè & liberè agat per dicta *suprà 215. num. 207.*

Tertiò, ut fiat ab eo, qui privilegio expressè renuntiare potest. Ratio patet; quia qui expressè renuntiare non potest privilegio, multo minus tacitè id valebit. Quinam autem, & quomodo renuntiare possint privilegio? habes *suprà §. IX.*

Queritur III. An privilegium cum onere aliorum concessum etiam per unicum actum amitti valeat viâ tacitæ Renuntiationis? Et dico notanter, *viâ tacitæ Renuntiationis:* nam inprimis certum est per unicum actum Renuntiationis expressæ amitti privilegium, juxta dicta *superiùs §. IX.* Insuper per unicum actum contrarium absque protestatione factum potest amitti privilegium viâ Præscriptionis, si postea elaboratur tempus ad præscriptionem sufficiens, per dicenda *infra.*

Resp. I. Regulariter quidem non sufficit unicus actus ad amissionem privilegii viâ tacitæ Renuntiationis; id tamen fieri potest in certis casibus. Ratio *primæ partis* sequitur ex hæcenus dictis: unde Summarium ex Salyreto desumptum in *l. Voluntaria. C. de Excusat. Tutor.* ponit hanc Regulam: *Per unum actum contrarium quis non perdit in aliis privilegium habens effectum reiterabilem & successivum.*

Alterâ verò pars, nempe privilegium quandoque perditur unico actu contrario, probatur inductione. Sic enim inprimis perditur privilegium unico actu contrario, si id non habeat tractum successivum, neque effectum reiterabilem, *arg. c. Cum accessissent. de Constitut.* ubi Indultum Apostolicum extinguendi Primiceriatum fuit unico actu extinctionis completum.

Secundò perditur privilegium etiam habens tractum successivum & iterabilem effectum, per unicum contraventionem seu actum contrarium, si aliæ conjecturæ concurrant, ex quibus Renuntiatio privilegii absolute colligitur. Exemplum hujusmodi ponit

ponit *Layman in c. Cum accessissent. de Constitut. n. 13. de statuto & privilegio jurato*, quando nempe Capitulares jurarunt, se observaturos tale Statutum & privilegium: nam si postea contraveniant etiam unico actu *Capitulariter* gesto, censetur id facere amico tollendi statutum vel privilegium, ne alioquin agere contra juramentum, siquæ rei esse perjurii conveniantur. Omitto nonnulla alia.

221 *Resp. II.* Quamvis privilegium habens tractum successivum & effectum iterabilem, v. g. non solvendi Decimas, vectigalia, & hujusmodi, per unicum actum contraventionis regulariter non amittatur: exinde tamen datur Adversarius quasi possessio in ordine ad præscribendum contra privilegium. Ita *Engel h. t. num. 20. post Suarezium, & Barbofam.* Inde enim fit, quòd propter unicum actum contrarium sine protestatione factum amittatur privilegium viâ Præscriptionis, si postea elaboratur tempus ad præscriptionem sufficiens, alias enim ut habetur *Reg. 3. Juris in 6. sine possessione Præscriptio non præcedit.*

222 *Queritur IV.* Quanto tempore censetur privilegium amissum per non *Usum*, vel *Usum contrarium?* In resolutione hujus questionis mirè variant Doctores ob apparentem quandam textuum utriusque Juris diversitatem, ut videre est apud *Glossam in c. Cum accessissent. de Constitut. v. Contraveniant.* & *Engel h. t. nu. 19.* ubi in te tam perplexa apertiorum Juris declarationem optat. *Resp. I.* Ut privilegia affirmativa, quæ sunt aliis onerosa, habentque causam successivam, vel actum iterabilem, per non *Usum*, si tamen occasio adest, amittantur viâ Præscriptionis, tantum temporis requiritur, quantum ad præscriptionem. Patet hoc ex terminis, quia alioquin talia privilegia non amitterentur viâ Præscriptionis.

223 *Cæterum* posse privilegia amitti per non *Usum* viâ Præscriptionis, patet ex eo; quia etiam omnes aliæ obligationes, ac servitutes tam reales quam personales fi amittuntur, si quis jure suo pro tempore occasione nunquam utatur, siquæ alter rem ut liberam possidens contra ipsam præscribat; ergo à pari potest præscribi contra Privilegia, quatenus illi, in quorum præjudicium tendunt, præscribant exemptionem à tali onere per tempus à Jure definitum.

224 *Porro* tempus ad præscriptionem varium est pro diversitate casuum, uti patet ex *L. II. Tit. XXVI. de præscript.* Cæteris tamen dimissis breviter nota, quòd ad præscribenda bona immobilia (quibus annumerantur jura & actiones ad immobilia) privatorum, cum titulo requiritur spatium decem annorum inter presentes, & viginti annorum inter absentes, *arg. §. 1. Instit. de Usucap. & alibi. Sine titulo autem* requiritur spatium triginta annorum, *arg. l. Sicut in rem. C. de Præscriptione 30. & 40. annorum. & c. Sanctorum. de præscript.* Contra Ecclesiam verò non valet præscriptio, nisi sit annorum quadraginta, inò subinde requiritur major, juxta dicta *loc. cit. §. VI.*

225 *Dixi* tan en notanter *num. 222. Si tamen occasio utendi adest.* Nam si occasio utendi privilegio se se nunquam offerat, illud per non *Usum* minimè amittitur, juxta dicta *num. 205.* ut si quis habeat *ius gladii* ex privilegio, eoque non fuerit usus etiam tempore longissimo, eo quòd nullum Malefactorum caperit, non idcirco perdidit hoc privilegium. Idem dic. si quis per absentiam, infirmitatem, aut per violentiam ab ejus usu impeditur, privilegio non fit usus, aut privilegium ignorarit, per dicta *num. 206.*

226 *Resp. II.* Privilegia negativa aliis onerosa, v. g. exemptio à Decimis, vel jurisdictione Ordinarii, *Reiffenuel Jus Can. Tom. V.*

possunt juxta jam dicta per actum contrarium amitti vel viâ Præscriptionis, si post actum contrarium sine protestatione factum elaboratur tempus sufficiens ad præscriptionem vel per tacitam Renuntiationem: nam in Foro externo præsumitur quis juri ac privilegio suo renuntiare, qui sine necessitate cogentes, & absque protestatione actum eè contrarium exerceat, ut bene probat *Glossa* communiter recepta in *c. Geavian. de Offis. Delegat. v. Recessum.*

Resp. III. Quantum temporis requiratur, ut 227 privilegium censetur amissum ob actum contrarium per viam tacitæ Renuntiationis, Jura satis clarè non exprimunt, nihilominus probabiliter dici potest per viam tacitæ Renuntiationis regulariter eodem tempore amitti Privilegia, quo per actus contrarios solet derogari Juri communi. Ita indicat *Glossa in c. Accedentibus. h. t. dicens: Et ita præditur privilegium eodem tempore, quo & præscribitur contra Jus commune.* *Accedit ratio;* quia Privilegium est *lex privata;* ergo si Juri communi tanto vel tanto tempore derogetur, multò magis Privilegio, pro ut amplius discurret *Engel h. t. num. 9.* Cum quo proinde

Inferes primò, concordando Jura Juribus, quòd 228 Privilegium contra Jus Civile concessum, per non *Usum* & habitâ occasione utendi, amittitur lapsu decennii, *arg. L. t. ff. de Nundinis;* nam ad derogandum Legi Civili sufficit decennium *arg. L. 1. C. Quæ sit longa consuetudo.*

Econtra Privilegium Ecclesiæ, vel personis Ecclesiasticis concessum, ac usu aliquando receptum, non amittitur nisi spatio 40. annorum, *arg. c. Accedentibus. h. t.* Nam ad derogandum Legi Ecclesiasticæ, & usu aliquando receptæ, requiritur tempus 40. annorum, *arg. c. Auditis de præscript. & c. Cùm Ecclesia de Causa possess. atque cum communi DD. diximus Tit. de Consuetudine §. V.*

Quomodo autem præmissis non obstat *c. Si de terra h. t.* ubi Monasterium per 30. annos solvens Decimas censetur renuntiasse juri Privilegii, quo exemptum erat à solvendis Decimis, conatur quolvere *Engel loc. cit.* id explicans de Privilegio, usu nunquam recepto, eò quòd Monasterium illud à sui erectione Decimas semper solvit: nam etiam Leges Ecclesiasticæ usu nunquam receptæ abrogantur decennio, multò magis annis triginta.

Queritur V. Quænam Privilegia in specie pro Regularibus Mendicantibus præsertim Ordinis nostri adhuc valeant, & subsistant, ita ut nec revocata, nec per non *Usum*, aut actum contrarium, Renuntiatione, Præscriptione, aut aliâ viâ sint amissa? consequenter vel in utroque, vel saltem in Foro interno eis uti liceat? Ante responsonem nota, quòd etsi resolyerimus, Privilegia in specie à potiori compendiosè saltem adducere, tamen quia opus aggredientes vidimus, opus fore integro novo Tomo ad id præstandum, mutatâ intentione, per aliquas Conclusiones universales, & remissionem ad Compendia Privilegiorum satisfacere questioni conducens duximus. Quare

Resp. I. Plurima, inò multa centena Privilegia in specie Regularibus Mendicantibus præsertim Ordinis nostri per diversos Pontifices concessa etiam pro utroque Foro adhuc velle valida existunt, valdeque, & licite practicari possunt. Ratio conclusionis est; quia tam in nostro, quam Societatis Jesu, & aliorum Ordinum Compendio, & recollectione Privilegiorum maxima copia illorum in specie allegari possunt, quæ nec sunt revocata, nec per *Usum contrarium*, vel non *Usum*, Renuntiationem, Præscriptionem, vel aliam viam amissa fuere.

Et quidem quòd plurima nulli revocationi sint 233
Hh 2 subjecta,

subiecta, inde patet: Tum quia nunquam huc usque facta est, nec unquam fiet aliqua universalis revocatio omnium privilegiorum; quia licet plures a variis Pontificibus in certa materia editae sint Constitutiones revocatoriae Privilegiorum, huiusmodi Constitutionibus contrariarum, tamen plurima adhuc alia, & quidem, ut diximus, multa centena privilegia dantur, quae à dictis Constitutionibus, utpote in alia materia emanatis, minime tanguntur.

234 Pariter licet etiam Concilium Tridentinum in diversis Sessionibus in specie & expressè revocavit aliqua privilegia, ac insuper omnia Eiusdem Sessionis 25. de Regularibus contraria juxta dicta superius; tamen non obstante, quod praefata per Concilium Tridentinum, & multa alia per Constitutiones supra dictas verè sit revocata, adhuc multa centena alia existunt, quae nec praefato Concilio, nec supra dictis Constitutionibus sunt contraria, consequenter ab eis minime revocata, uti videre est inter alia in nostro Compendio privilegiorum reformato per P. Hieronymum à Sorbo.

235 Notandum siquidem specialiter, quòd dictum nostrum privilegiorum Compendium omni debita cum reverentia & obedientia erga S. Sedem, juxta Decreta Concilii Tridentini, & aliarum Constitutionum Papalium fuerit reformatum, & sic reformatum editum, adeò ut nullum in illo reperitur privilegium à Concilio Tridentino, vel aliqua Constitutione Pontificia usque ad Clementem VIII. revocatum; & tamen multa centena in illo reperiantur privilegia, etiam nulli posteriori Constitutioni Pontificiae contraria, nec per aliam causam amissa, uti legenti patebit. Pariter res se habet de Compendio privilegiorum Societatis Jesu recenter edito, sicut & de aliis.

236 Rufus, licet Gregorius XV. & Urbanus VIII. universaliter pro utroque Foro revocarent omnia viva vocis Oracula non verè authentica, seu de cuius testimonium Officialium & Ministrorum superiorum allegatorum non constat; tamen non obstante dictorum Pontificum revocatione, plurima Oracula adhuc valent: Tum quia plurima habentur verè authentica, omnia videlicet illa, quae in nostro privilegiorum Compendio signata sunt majori Littera O. juxta dicta supra. Tum quia omnia viva vocis Oracula in libris Ordinis nostri reperta, etsi testimonio praefatorum Officialium non authentificata, Leo X. saltem pro Foro conscientiae, novo viva vocis Oraculo verè authentico de novo concessit, & eadem etiam Gregorius XIII. & Clemens VIII. ex certa scientia per specialem Bullam de novo confirmarunt & concesserunt, consequenter fecerunt, quòd dicta nostra Oracula in libris Ordinis nostri reperta Gregoriae, & Urbanae revocationi non subiaceant, & consequenter adhuc saltem in Foro conscientiae valeant, juxta dicta supra. Cum Oracula verè authentica, vel quae per novam Bullam denuò sunt concessa, evadant privilegia scripta, & per consequens à dictis Pontificibus nullatenus revocata.

237 Porro saepe dicta magna copia privilegiorum parum vel nil minuitur non Usu aut usu contrario, aut renuntiatione illorum, aut alià amissionis causâ: Tum quia plurima ex eis sunt merè gratiosa, quae non Usu, aut Usu contrario minime cessant per dicta supra. Tum quia plerique sunt data Ordini, Dignitati, Officio, aut Communitati, quibus per privatos renuntiare nequit: Tum quia alia amissionis causa facile probari nequit, & interea privilegiati sunt in possessione privilegiorum. Hinc ad Quaestionem n. 231. postam pro praxi

238 Resp. II. Omnia & singula privilegia scripta, seu Bullata, item omnia & singula viva vocis Oracula

verè authentica, quae in nostro reformato privilegiorum Compendio reperuntur. & novâ aliquâ Constitutione post Clementem III. circa certam materiam expressè revocata non sunt, & contra quae causa aliqua amissionis probari non potest, adhuc pro utroque Foro valent. Viva vocis Oracula verò plenè non authentica, & ex libris tamen Ordinis nostri ibidem adducta, valent pro solo Foro interno, utpote pro hoc solo ab allegatis Pontificibus de novo concessa &c. Patet tota Conclusio ex dictis, quam pro compendiosa & practica notitia solum adducere, de reliquo Lectorem scire cupientem, nam & quale in hac vel illa materia privilegium habeamus, ad saepe allegatum reformatum nostrum Compendium privilegiorum Ordine Alphabetico compositum remittere expediens duximus.

239 Dicitur notanter, & novâ aliquâ Constitutione post Clementem VIII. revocata non sunt; quia aliqua respectivè tamen valde pauca in dicto Compendio reperuntur privilegia, quae à novis Constitutionibus fuerint revocata, utpote contraria huiusmodi Constitutionibus in illa materia, circa quam fide edita cum Clausula Non obstantibus quibusvis privilegiis &c. uti erat privilegium super A'ari portali celebrandi Missam in quovis etiam saeculari loco, quod fuit revocatum à moderno Pontifice juxta dicta Lib. III. Tit. XXI. à n. 4.

Et haec de materia privilegiorum dicta sufficiant; qui plura de his desiderat, consulat Quaestiones Regulares Roderiquez, Manuale Mirandae, Hiscynthum Donatum, Peyrinam, Lezenam, & alios integros Tomos de privilegiis scribentes. Nobis proponendum ad alia.

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

SUMMARIUM.

- 1 Purgatio Canonica quid?
- 2 Olim fiebat per iuramentum ad sepulchra, vel Reliquias Sanctorum.
- 3 Vel per suspensionem Eucharistiae.
- 4 Hodie verò fit per iuramentum Illius.
- 5 Et quorundam Compurgatorum, ita ut ille de veritate, hi verò de credulitate jurent.
- 6 Peregrino creditur sine Compurgatore: & quomodo?
- 7 Purgatio Canonica non nisi à competente Iudice inici potest.
- 8 Ut legitime alicui indicatur, requiritur I. Ut talis de crimine publicè sit diffamatus, aut suspectus.
- 9 II. Et quidem verosimiliter.
- 10 III. Ut fama ortum non habet à Malevolis. Propter scandalum vitandum receditur à Jure communi. Ibid.
- 11 IV. Requiritur, ut crimen, vel innocentia alter probari non possit.
- 12 V. Ut crimen non sit notorium.
- 13 VI. Et diffamata persona sit aliàs fide digna, Plebeis, & vilibus non indicitur Purgatio Canonica, sed Tortura. Ibidem.
- 14 Iudex potest Purgationem Canonica[m] indicere vel ex officio, vel ad instantiam partis.
- 15 Et quidem non solum super crimine, sed etiam super macula, defectu, aut impedimento.
- 16 Diffamatus in Purgatione deficiens, puniatur ut reus; & qualiter?

- 17 Purgationis ritè factè effectus qui?
- 18 Ordinariè de tali crimine non amplius potest accusari.
- 19 Nisi nova indicia emergant; vel accusator suum profatur injuriam; aut probare vult, Diffamatum perjurasse.
- 20 Purgatio Canonica hodie ferè in defectu[m] abijt, excepto Officio Inquisitionis.

1 Quæritur I. Quid sit, & quomodo fieri debeat Purgatio Canonica? Ante responsonem nota, Purgationem Canonica[m] ut sic quantum ad propositum, aliud non esse quàm ostensionem innocentie de objecto sibi crimine. Et haec duplex est, videlicet Canonica & vulgaris, quarum posterior reprobatur à Jure, ut dicemus Tit. seqq. De priore autem sic dicta, quia à SS. Canonibus est adinventata & approbata, hoc Tit. & cau. 5. quæst. 5. ferè pro totum, his notatis, Resp. I. quòd Canonica Purgatio sit innocentiae alicujus criminis, de quo quis diffamatus est, Canonice seu juxta praescriptum SS. Canonum facta ostensio.

2 Resp. II. Quamvis olim varius fuerit modus Purgationis Canonicae, v. g. per iuramentum tam à Reo, quàm Accusatore praestitum ad sepulchra, vel Reliquias Sanctorum, can. Haber. 6. can. Memoriam 7. can. Quanto 8. can. 2. q. 7. praesertim verò illorum, qui miraculis magis clarebant; eo quod mirabili harum Reliquiarum virtute, vel intuitu meritorum talium Sanctorum Deus saepe mirabiliter patefecerat innocentiam, vel crimen, & perjurium Diffamatorum, vel Accusatorum, prout plures testantur SS. Patres apud Baronium ad Annum Christi 412. à n. 24.

3 Item per susceptionem S. Sacramenti Eucharistiae, vel celebrationem Missae, arg. can. Sæpè 23. & can. fin. cau. 2. q. 5. quia praescribatur, nullum tam temerarium fore, ut reus & conficius criminis à se commissi in sui condemnationem audeat sumere Corpus & Sanguinem Christi; praesertim cum in signum innocentiae sumi oportuerit, in haec verba: Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie: cit. cau. Sæpè.

4 Nihilominus praefati, & alii modi Purgationis Canonicae iustis de causis sublati, & alia forma ejusdem introducta, & hodie servanda est, illa videlicet, quae scribitur c. Quotiens, 5. h. t. ubi cujus imprimis Purgandus sive Reus, tactis sacrosanctis Evangelicis debet jurare, quòd crimen illud, de quo infamatus est, nec per se, neque etiam per substitutam personam, aut alium suo nomine scienter illud perpetraverit. Et notanter sic dicitur, non enim sufficit Reo de criminibus infamato jurare, quòd sit immunis ab illis criminibus, hoc enim verificaretur per veram peractam penitentiam, utpote per quam peccata commissa dimittuntur: sed quia hoc nemo fecere potest, juxta illud Job. cap. 9. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea, cum Concordantibus: idcirco iuramentum esset temerarium, indifferens, & ineptum ad Purgationem Canonica[m], prout id ipsum expressè reprobatur cap. ult. h. t.

5 Deinde sunt adhibendi Compurgatores, plures vel pauciores juxta qualitatem Personae, delicti ac infamiae; nam hic numerus est arbitrarius, & à Iudice taxandus, arg. c. Inter h. t. ubi quatuordecim Compurgatores propter magnitudinem criminis objecti requiruntur, sed cap. 1. eod. requiruntur duodecim, & c. Ex turum, eod. septem, vel quinque, quasvis & pauciores sufficere possent, arg. c. Cum dilectus, h. t. & c. Cum in juventute, eod. ubi duo Abbates fuerunt deputati, ac notat Pirhing h. t. num. 11. Debent autem huiusmodi Compurgatores esse vicini ipsius Rei, qui vitam & conversationem ipsius agnoscant, simulque personae honestae ac bonae famae, c. Cum P. 7. & c. Cum in juventute, 12. h. t. qui jurabunt, quòd credant, Purgandum non commisisse crimen objectum, sed quòd credant, ipsum verum jurasse. Unde patet discrimen inter iuramentum Purgandi, & Compurgatorum: nam ille debet jurare iuramento de veritate, quòd nempe objectum crimen non commiserit; Compurgatores verò jurant de credulitate, c. Quotiens, 5. & c. De Testibus, 13. h. t.

6 Porro si quis Peregrinus, aut aliàs ignotus, ita ut Compurgatores de vita & honestate ipsius notitiam habentes acquirere non possit, eidem soli, si aliàs fide dignus censetur, creditur, ita tamen ut non tantum juret, se crimen non commisisse, sed etiam juret, se Compurgatores habere non posse. Abbas in c. Inter, h. t. n. 7.

7 Quæritur II. A quo? & quando indici possit, ac debeat Purgatio Canonica? Resp. I. Purgatio Canonica indici potest à solo Iudice competente, qui de crimine aliàs cognoscere potest, aut debet, adeò, ut si à non Iudice indicta fiat, minime valet, & perinde sit, ac si facta non fuisset. Communis, & certa, arg. c. Nos inter, 6. & c. Inter, 10. h. t. item c. Licet, 1. de Officio Legat.

8 Resp. II. Ad hoc, ut alicui Purgatio Canonica indici possit, aut debeat, plura requiruntur. Et quidem I. Quòd per accusationem, vel aliàs de crimine publicè diffamatus, vel verosimiliter suspectus sit, ita ut fama illius etiam apud probos honesta laesa exstat. Innocentius in c. Nos inter, 6. h. t. Sylvester v. Purgatio, n. 2. Pirh. h. t. n. 7. cum communi, arg. c. Si quis 4. c. Quotiens 5. & seqq. h. t. Ratio est, quia Purgatio canonica idem praecipue introducta est, ut calu, quo crimen, vel innocentia diffamati alio modo probari nequit, per Purgationem detegatur, quatenus tollitur publicum scandalum populi, dum vel reus inventus condemnatur, vel suspicio criminis deletur, atque infamia Rei convertitur in bonam famam, arg. c. Inter, 10. h. t.

9 II. Requiritur, ut infamia, aut suspicio non sit levis, sed verisimilis & gravis, aut vehemens, casu quo ob eam Purgatio indicitur, Communis arg. c. Si quis, 4. h. t. ibi: Si verisimilibus suspicionibus fuerit propulsatus, non expurgat, & c. Inter, 10. eod. & Vehementem suspicionem &c.

10 III. Requiritur, quòd, si ob publicam infamiam indicitur Purgatio, infamia ortum habeat à personis honestis, & fide dignis; quia orta à malevolis non sufficit ad indicendam Purgationem, nisi Diffamatus ipsemet pro ea inflaret, aut nisi etiam taliter orta infamia generaret publicum populi scandalum, quòd aliter quàm per Purgationem Canonica[m] sedari non posset, arg. c. Inter, 10. h. t. Ratio posterioris est; quia propter scandalum vitandum receditur à Jure communi c. 2. de Novi operis nuntiat. c. Tencamur, 6. de Praebend. & c. 2. de Praescripti.

11 IV. Requiritur, ut crimen, aut innocentia per Testes, aut alios idoneos modos probari non possit, c. Inter, 10. h. t. ibi: Accusatore, & Testibus deficiente. Ratio est, quia Purgatio Canonica à Jure est introducta in subsidium aliarum probationum.

12 V. Requiritur, ut crimen non sit notorium, c. Cum dilectus Filius 15. h. t. ibi: Si crimen notorium existeret, non erat illi indicenda Purgatio, sed in eum condemnationis sententia promulganda; quia notoria non indigent probatione, imò nec excusatione, arg. can. de Manifesta, can. 2. g. 1. & c. Evidentia, 9. de Accusata.

13 VI. Requiritur, ut persona diffamata cetero qui sit fide digna, & de perjurio committendo minime